

ria ex legibus Saxoniciis in ipsas leges et constitutones a Casimiro M. latas migrauerint. Adduxisse idcirco sufficiat unicus tantummodo legem, vbi a Casimiro sequentem in modum cauetur. „*Quamvis occidens hominem secundum legum sanctiones foret capitali poena plectendus, nos tamen rigorem illum temperantes statuimus, quod occidens militem XXX. marcas parentibus, pueris vel amicis defuncti soluere teneatur.*“ Quis dissiteri poterit, in hac lege idem constitui, quod in iure Weichbildico iam antea constitutum erat, scilicet quod reus homicidium casuale aut culposum committens, ultra poemam arbitriam etiam Werigeldum occisi heredibus soluere teneatur. Nec minus in aliis Regum Polonicorum constitutionibus varia reperiuntur ex iure Saxonico deponita, quae tamen prolixe hic exponere breuitatis studium vetat.

§. 16.

Itaque cum de abrogatione iuris communis Saxonici antiqui, (de recentioribus enim constitutionibns, quae Electoralia iura continent, plane non loquimur,) nec vola nec vestigium reperiatur, sed potius in aprico positum sit, usum huius iuris in Polonia in subsidium retineri, et vbi iura patria et proximiora silent ad illud recurri, statuendum sane erit, confirmationes constitutionum, libertatum, legum atque ordinationum, populo Polonico a Regibus suis generaliter factas etiam iuris Saxonici usum subsidiarium tacite sub-intelligere. Ea propter ergo Sigismundus III. commotus esse videtur, speculum Saxonicum cum iure Weichbildico Magdeburgensi, quasi fontem iuris Saxonici, tanquam Polonorum ius ordinarium publice confirmandi, ut hac ratione Polonis usum subsidiarium eiusdem vindicaret atque stabiliret.

T A N T V M.

VN-